1276. 1

Vir clarissime. 64

Quas nuperrimis literis meis redditas nobis esse observationes Tuas ex anno 1784 negavi, ecce jam una cum Moscuanis ad nos pervenere. Gratias pro iis quas possumus maximas agimus, magnopere rogantes, ut quæ germanice scripsistis, ea posthac latine, nisi grave quid obstiterit, reddatis, signaque, quæ usu Societas recepit, brevitatis ac conformitatis gratia adhibeatis. — Conductorum fulminis, Petropoli atque in confiniis positorum elenchum amici opera acceptum publici juris feci; at quis eos collocarit, atque una pluribusve cuspidibus an terminentur, ignoro, scire tamen magnopere desidero. Hæc duo, vir clarissime si brevi mihi, instructionem, omnis generis ædificia conductoribus ratione maxime tuta armandi, proxime in lucem lingua vernacula emissuro, paucis significares, magno et me et rem literariam officio obstringeres. Vale.

Manheimii die 28 oct.
1785

Hemmer.